

tunc Sacramento ritè administrando deest, suprema id autoritate repararetur; ac proinde in communem regulam recideretur, cum maxime ab illa recessum esset. Quod autem in presenti quaestione statu id certum ponatur, nimirum Apostolos speciali hujus revelationis instinctu praescriptam hanc à Jesu Christo formulam immutasse, id tanquam nullo assertum argumento vix ac ne vix quidem conceditur.

Quod ad verſe opinioni persuadendæ plurimum contulerit, illud in causa fuisse reputamus, nimirum hujus opinionis assertorem se præbuisse S. Ambrosium, cujus autoritate dictum suum confirmat Nicolaus I. in Epist. ad Bulgaros, Beda, S. Bernardus, Concilia Forojulienſe, & Nîmacense, alique plures Theologi de Schola. An. verò S. Ambrosius id asseruerit, quod illis persuasum est, nimirum Baptismum sub Jesu Christi invocatione tantum ministratum fuisse, id maxime ambiguum & incestum; quare, si aliam fuisse S. Doctoris mentem demonstraverimus, quodd opinio ista asseratur, nihil erit. His autem persuademur, nunquam S. Doctorem in hanc sententiam concessisse.

I. Docet non semel, Baptismi meritum nullum esse, nisi sub expressa Personarum Sanctissimæ Trinitatis, & aperta ejusdem Trinitatis confessione ministraretur (s). Fide equidem Jesu Christi instructus est Catechumenus, cujus se nomine in fronte obſignat; sed veniam criminum nullam obtinebit, nisi Baptismo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti initiatur. Docet alibi, Sacramenta iniquorum, id est Hæreticorum, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non tingunt, nec abluere, nec languorem sanare, sed inquinare plurimum initiatos; quod cum Patrum doctrina (t), docentium Hæreticos illos ad Ecclesiam redeuntis novo tingendos esse Baptismate, congruit.

II. S. Ambrosius in Opere laudato ducem secutus est, juxta familiarem sibi morem, S. Basilium (u) in suo Libro de Spiritu Sancto. Porro S. Basilium trium Personarum SS. Trinitatis invocationem necessariam esse tenuit, asseruitque; fufius enim demonstrat, oportere Sancti Spiritus Personam exprimi, quod Divinæ Christi jufſioni fiat satis, edicentis ministrari Baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Addit, nemini mirum videri debuisse, si Apostolus de Baptismo agens non rard omiſſa Patris, & Spiritus Sancti mentione, solius Filii meminerit; ut in illo Galat. 3. 27. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis; & Rom. 6. 3. Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Namque, ait ille de Spir. S. c. 12. sub una nominis Jesu Christi invocatione totius pariter SS. Trinitatis Fidem profitemur; insinuat enim Pater qui unxit, Filius qui unctus est, & Spiritus Sanctus qui unctio ipsa censendus est. Hæc S. Doctor ex S. Irenæo adoptaverat (x); In nomine Christi comprehenditur, & ipse qui unxit, & ipse qui unctus est, & ipsa unctio in qua unctus est.

s Ambros. de Myſt. c. 4. n. 20. Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratia munus habere. Vide & in Luc. 1. 8. n. 67. & Autor. Lib. de Sacram. l. 2. c. 5. & 7. i Aug. passim in Donatist. Optat. Milevit. Facund. Hermian Alit. Arelat. Concil. c. 8. u Basl. de Spir. S. c. 10. 11. 12. & lib. 5. cont. Eupnom. c. 3.

x Iren. l. 3. c. 20. seu cap. 18. nov. edit. Paris.

Observat deinde S. Basilus ibid. in aliis Scripturæ locis unius tantum Spiritus Sancti mentionem occurrere; ut in illo 1. Cor. 12. 13. Omnes nos in unum corpus baptizati sumus in uno Spiritu. Et Christus in Act. 1. 5. Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Non est autem ita reputandum, ait S. Doctor, Baptismum sub uno Sancti Spiritus invocatione præcipi; ratum est enim habendum, quod traditione recipimus. Qui nos sanguine suo redemit, id nobis concessit, ut Sacramento renovationis excipiendo pares essemus; quo nempe Sacramento mira, & salutaria præstantur; ita tamen, ut neque adimendum illi quicquam fuerit, nec addendum, absque eo quod ab æternâ vitâ excidatur. Quare si Sanctum Spiritum à Patre Filioque sejungere perniciosum est baptizanti, & baptizato inutile, nemo id sibi licitum præsumet, ut tres invicem dissociet.

III. Sed in exameni revocemus locum S. Ambrosii, in quo totius controversiæ cardo. Observat ille, tinctos Baptismo S. Joannis Sacramentum Baptismi nullum recepisse; neque enim sub invocatione nominis Jesu Christi, nec in fide pariter Sancti Spiritus initiati fuissent. Novo sunt igitur, ait ille, Baptismate abluti in nomine Jesu Christi, quanquam iteratò Sacramentum non receperunt; primus quippe Baptismus perinde habebatur, ac si nullus fuisset, unum enim tantum, & singulare recepit Ecclesia. Ubi autem Baptismus perfectus non est, perinde habetur, ac si nullus esset. Plenum autem est, ait, Sacramentum, si Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum fatearis. Non hic agitur de invocatione trium Personarum à Ministro Baptismi factâ, sed de professione Fidei, quam Baptismate initiandus præmittit. Addit deinde S. Doctor, eum, qui unam Trinitatis Personam negaverit, universum Trinitatis Myſterium evertere; & vicissim qui verbis suis unam tantum exprimit, non negat tamen Patris, Filii, & Spiritus Sancti veritatem, plenum, & perfectum recipere Baptismi Sacramentum: Ita, subdit, quamvis Patrem, & Filium, & Spiritum dicat, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minus potestatem, vacuum est omne Myſterium.

Sermonem hic esse S. Doctori non de Ministro Sacramentum conferente, sed de susceptore ejusdem Sacramenti, sicut non de verbis à baptizante pronuntiandis, sed de fide baptizati, apertissime constat. Præposterè itaque ex illa S. Doctoris autoritate inferendum sibi aliqui susceperunt, Baptismum sub invocatione tantum unius è Trinitate olim valuisse, & nunc etiam, si fortè ministraretur, ratum assertumque reputandum esse; quodd scilicet uterque minister nempe & susceptor, sub unius Personæ nomine totius SS. Trinitatis essentiam profiterentur.

Ambigua sunt, quæ ex Authore Operis adversus reiterantes Baptismum laudantur. Adstruit ille quidem luculenter, Sacramentum ministrari oportere, juxta inviolabilem Ecclesiæ Disciplinam, in nomine Patris, &

Fi.

Filii, & Spiritus S. Sed non ita apertis verbis demonstrat, an extra Ecclesiam Hæretici in nomine Jesu Christi baptizarent. Profectò si in ea fuit persuasione, Sacramentum ita collatum ratum haberi debuisset & assertum, falli nos Scriptorem illum ultro profitebimur.

S. Hilarius id tantum observat, nimirum aliquid esse repugnans inter verba Jesu Christi: Euntis baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & illud Actum: Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. Quæ postrema verba, si ad literam attendantur, insinuare fatetur, Apostolos aliter ministrasse Sacramentum, quam quodd Jesus Christus præscriperat. Nunquam tamen, prodit S. Doctor eâ se teneri persuasione; neque, an crederet aliam institui posse rationem, quam quæ indicatur, repugnantibus hæc Textibus conciliandis.

Cum tandem neque textus Actum Apostolorum apertissime prodant, ministratum ab Apostolis Baptismum sub expressa tantummodo Jesu Christi invocatione; cum

S. Ambrosii autoritati alius fuerit, quam qui à pluribus credebatur, sensus: cum Scriptorem & Conciliorum opinio, quæ valere dicit Baptismum sub unius tantum Personæ SS. Trinitatis invocatione, errore quodam facti innitatur, & præpostere acceptâ S. Ambrosii autoritate, illud jure meritoque nobis est statuendum cum S. Joanne Damasceno [y]: In nomine Christi baptizari nihil aliud indicat, quam in eum credendo salutiferâ aquâ tingi. Fieri autem non potest, ut in Christum credamus, nisi Patris, & Filii & Spiritus Sancti confessione imbuti atque instituti sumus. Inde etiam consequitur, Baptismum in nomine Jesu Christi nec fidem trium Personarum SS. Trinitatis, quia nec expressam trium illarum per ministrum Sacramenti invocationem excludere. Baptismus itaque in nomine tantum Jesu Christi collatus non illegitimus tantum, sed malus, inutilis statuendus est; quemadmodum ex consensu Doctissimorum omnium, qui de hoc argumento scripserunt, apertissime constat (z).

y De Fide Orthodox. l. 4. c. 10.

z Bellarm. de Sacram. Bapt. l. 1. c. 3. Est. in 4. Sent. dist. 3. §. 5. Nat. Alex. sac. 3. Dissert. 13. Not. 6. in nov. Edit. Ambros. l. 1. de Spiritu Sancto c. 4. Harduin. de Bapt. in nomine Christi. Martenne de antiq. Eccles. Ritib. Mabilon. Not. in Ep. Bern. 403. nova edit.

DISSERTATIO IN ELECTIONEM PER SORTES.

Sortium usum approbare videtur illud Salomonis Prover. 16. 33. Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur. Cum itaque certum inde voluntatis Domini indicium capiendum esse reputaretur, datum sibi omnes arbitrabantur, ut quoties nulla alia discernende veritatis ratio succurreret, ad sortes confugerent. Ita Domini jussu sortium arbitrio commissa est electio primi Regis Israhelitarum (a). Quamquam Josue Dei Spiritu afficeretur, quamquam Jacob (b), & post ipsum Moyses (c), non obscure designassent certum singulis Israelis Tribubus designandum locum; per sortes tamen totius regionis in Tribus divisio facta est, ut litibus & seditionibus ansa omnis tolleretur (d). Cum David redigendum ordinem Familiarum Sacerdotialium, & munerum à singulis in Templo præstandorum suscepisset, ne quid invidiæ, & murmuris in tanto rerum molimine nasceretur, quem singulæ inter se locum tenerent, per sortes determinatum est (e). Idem servatum in dirigendis classibus Levitarum, Musicorum, & Janitorum (f). Cum tandem hebdomadâ incunte classes Sacerdotum, & Levitarum juxta constitutum familiarium ordinem ad Templum ministraturæ venirent, sortitò eligebatur quicumque in Altari aureo thymiama adoleret; qui sacrificium offerret diurnum; qui tandem cætera Templi officia præstaret (g). Zachariæ Patri S. Joannis Baptistæ sortitò

contigit, ut adoleret incensum coram Domino, cui muneri in Sancto vacanti Angelus Domini obviam factus est (h).

Pro hac itaque solemnî Synagoga & Sacerdotii legalis disciplinâ, creduntur Apostoli in electione S. Matthiæ sortes adhibuisse (i): Ne Apostoli electio à mandato discrepare Legis veteris videretur, ait S. Ambrosius in Luc. 1. num. 23. & alii post ipsum. In postrema Urbis obsidione Zelotæ, authore Josepho De Bello l. 4. c. 5. Summi Sacerdotii dignitatem Phannatæ cuidam, cui sortitò accidit, contulerunt; quem constituendi per sortes Pontifices morem vetustissimum in gente sua fuisse venditabant. Sed falli illos constat; nullum enim extat exemplum Sacerdotum Hebræorum, quorum electio à sortibus peteretur. Aaron expressâ Dei voluntate selectus est, ut Sacerdotio fungeretur; cui pariter dignitas divino prodigio in seditione Core asserta est (k). Post ipsum, Summum Sacerdotium nunquam aliunde petitum, quam ex familia ejusdem Aaronis; servatumque id non interruptâ successione ex patre in filium, usque ad Antiochum Epiphanem (l); translatumque deinde in familiam Asmonæorum, tandiu apud illos mansit, quandiu eo ab Herode Magno, ordine successions immutato, arbitrarium & pro Regis voluntate datum receptumque Sacerdotium non efficeretur. Post Herodem usque ad Urbis & Templi eversionem per Romanos, conferendi Sacerdotii autoritas penes Romanorum Præfectos, sive gentis

h Luc. 1. 9.

i Act. 1. 26.

k Num. 17. 8.

l Joseph. Antiq. l. 20. c. 8. pag. 700.

a 1. Reg. 10. 20. b Gen. 49. c Deut. 33.

d Prov. 18. 18. Contradictiones comprimunt sortes, & inter potentes quoque judicat. e 1. Par. 24. 5. 7. 31. f 1. Par. 25. 8. 9.

g 1. Par. 26. 14.

X 2

Prin.

Principis fuit. Unus inter postremos hosce Pontifices Phannias à Zeloti sortitio electus est.

Non est itaque reputandum, in electione S. Matthiae Apostolos exemplum sibi praestituisse Sacerdotum Hebraeorum, quorum electio à sortibus penderet; nisi forte secutos illos dixerimus Templi morem, ubi sortitio munera distribuebantur. Beda Venerabilis in Acta cap. 1. autumat veram, qua deducerentur Apostoli, rationem illam reputari; nimirum destitutos illos adhuc Sancti Spiritus plenitudine, datum sibi reputasse, ut Legem ad literam sequerentur (m). Porro ille persuasione S. Ambrosii tenebatur, autumantis Sacerdotes Templi Jerusalem sortitio electos; quod cum veritate non ita penitus congruere satis, demonstravimus. Si vero inuere volebat ille, Apostolos nondum Spiritus S. illustratione perfusos, satis sibi non esse luminis reputasse, ut dignum aliquem virum discernere, qui in Apostolum eligeretur, quemadmodum S. Chrysostomus (n) philosophabatur, id sanè persuasibilis ab illo diceretur. Tanti quidem res erat momenti, ut nemo satis sibi prudens videri potuisset; quare consultus duxerunt, si totam Deo reservarent eligendi dignissimi viri rationem.

Pseudo Dionysius Areopagita in Opere de Ecclesiast. Hierarch. n. 5. sortium nomen singulari planè sensu usurpat; habet enim persuasum, S. Matthiam divino quodam dato signo indicatum fuisse Apostolis, eum nimirum esse virum, qui à Deo in censum Apostolorum referretur. Quod maxime fuerit signum illud, non indicat Scriptor; sed ejus silentium suppletes Interpretes, alii radium quemdam caput ipsius subito ferientem suspicantur (o); alii subito quodam fulgore scriptum ejus nomen emicuisse (p); alii columbam capiti ipsius insidentem; alii virgam statim florescentem, quemadmodum & cum Aarone olim praestitum (q); ac tandem alii prophetico spiritu afflatum illico virum credunt.

Sed qua, rogo, necessitate hanc sortium significationem adoptemus? Nihil frequentius apud Hebraeos, quam ut sortibus vel religiosissimi quique inter eos uterentur. Crimen Acham sortibus exploravit Josue (r). Jonatham paternae legis transgressorem, quippe qui mellis parum contra Regis edictum degustaverat, ipse eius Pater Saul sortibus deprehensum reum tenuit (s). Qui in eodem cum Jona navigio ferebantur nauæ, veram causam subito ingruentis procellæ per sortes scrutati sunt (t). Nihil majoris momenti apud Persas & Chaldaeos agebatur, quin prius sortes consultæ fuissent, quemadmodum exemplo Amani (u), & Nabuchodonosoris (x) docemur. Huic retinendæ consuetudini non parum contulit secundus à Deo sortibus concessus eventus. Quare Deum illis praesidere ne ambigebatur quidem (y); eiusque explorandæ voluntatis si ratio alioqui nulla succurreret, expeditior hæc via habita est. Non est igitur cur vehementer miremur, si Apostoli pariter electionem

hanc suam sortibus permiserunt; more illis patrio præcunte, cui favisse leges videbantur, nec parum tribuerant autoritatis Sanctorum virorum exempla atque Dei ipsius approbatio.

Gagnæus alique [z], qui in ea fuerunt persuasione, Apostolos secretis datis suffragiis S. Matthiam in suum cœtum adlegisse, quæ ipsorum suffragia S. Lucas sortium nomine designaverit, illi sanè pronam hujus vocis notionem evertunt; æquis enim unquam electionem suffragiis factam ita describeret, ut diceret iactas inter duos aliquos viros sortes, in favorem alterius cessisse.

Asserenda est igitur genuina vocis hujus significatio. Apostoli duos ex omnibus viros amplissimos constituerunt in medio, quorum scripta in duabus schedis sive lapillis nomina in vas aliquod, sive in vestis finum, sive in pileum conjecerunt; extractisque deinde alteruter in Apostolum electus est. Vel, si mavis, in unum aliquod vas congesta sunt duorum virorum nomina, quibus respondebant in urnâ aliâ geminæ schedæ, quarum alterutra inscriptam ferebat hanc vocem *Apostolus*. Extractus igitur è priori urna Matthias, cui ex altera respondit scheda Apostoli nomine inscripta; quod à toto cœtu satis superque reputatum est, ut Matthias in Apostolum renunciaretur. Hæc nobis indita de electione per sortes idea, vel saltem id obtinere in sortibus constat; quamquam alias esse eligendi per sortes rationes neque ignoremus, neque, semel constitutâ S. Matthie electione per sortes, contentiosum funem trahere maluerimus, si quis sortè alias servatas rationes in electione ejusdem Apostoli defendit.

An electio ista per sortes diuini servata sit in Ecclesiâ, an legitima haberetur, & qua præstaretur ratione disquiritur. Extra controversiam positum est, electionem per sortes nunquam communi usu ab Ecclesiâ probatam fuisse, neque illi sibi licitum, vel necessariè præstandum Apostolorum exemplo Fideles reputasse. Ipsi pariter Apostoli aliam servarunt in electione Diaconorum rationem (a). Ab universo cœtu viri præstantissimi electi sunt, prout quisque Spiritu Sancto afflatus reputabatur. Eadem cautione in Episcopum Jerusalemitanum renunciatus est S. Jacobus (b); eadem primi quique singularium Urbium vel Provinciarum Episcopi. Electionem per sortes adhibuisse Apostolos in deligendis Episcopis sive aliis Ecclesiæ Ministris, nusquam post Pentecosten legimus. S. Paulus non semel scribit (c); *Nos sorte vocati sumus*, ad Fidem nempe & gratiam Evangelii; quibus tamen verbis nihil aliud significavit, quam gratuito prorsus largientis Dei beneficio ad fidem se vocatum fuisse (d).

Cæterùm sive Apostolorum ætate, sive prioribus Ecclesiæ sæculis pro merito singularum, arbitrio populi & Episcoporum, factas electiones nunquam non legimus. Populus unâ & Clerus certum virtutis ejus, qui ab Episcopis proponebatur testimonium ferebant; atque ipsi demum Episcopi, li-

z Salmer. Sanff.

a Act. 6. 4. 6.

b Euseb. Hist. Eccles. l. 2. c. 1. & l. 3. c. 4.

c Ephes. 1. 11. Coloss. 1. 12. &c.

d Aug. in Ps. 30. n. 13.

bratis omnibus, quos maxime probassent, eligebant, initiabantque. Tunc autem veluti de ipsius judicio facta electio censabatur: *Post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum*, ait S. Cyprianus lib. 1. Ep. 3. Apostoli ceterique Domini Discipuli, post obitum S. Jacobi Episcopi Jerusalemitani, pro eligendo successore coeuntes, Simeonem filium Cheophae assumpserunt (e). Narcissus Episcopus Jerusalemitanus reliquam Urbis illius cathedram permittit Dio, quem illi successorem Episcopi ceteri statuerunt (f). Rediit diu post Narcissus, atque jure possimilium in suam Ecclesiam restitutus est; donec 116. annorum ætate grandævus, quod muneribus Episcopalibus præstantis impar esset, Coadjutorem sibi ab Episcopis datum admittit Alexandrum, Episcopum antea in Cappadocia. Uno verbo, nulla usquam sive veteri sive nova Ecclesiâ Episcopos consueto more per sortes datos agnoscit.

Cùm de Pastore aliquo Ecclesiæ & Ministro Jesu Christi eligendo res est, nemo sibi cautionis attulisse satis præsumit; & quamvis alioqui una sit omnium persuasio, nihil in hoc mundo, nisi summo Dei consilio ac dispositione agi, sortes pariter aliquâ Dei gubernantis providentiâ regi; arbitrantur tamen, illis indiscriminatum & nullâ cogente necessitate uti, perinde esse ac si Deus tentaretur; atque eâ semel datâ viâ, superstitiones plures criminosas in mundum invehi. Experimentâ insuper edocti sunt, Deum audaciam atque præsumptionem eorum, qui talibus immiscerentur, ultimum, permittere non raro, ut sortium dispositio aliter quam pro eorum opinione agat. Quare hæc omnibus tollendis abusibus, Ecclesiâ abolendum omnem sortium usum præcepit. Cùm, ait Honorius III. Papa, certiores facti fuimus, destitutâ Pastore Ecclesiâ vestrâ, vos quemdam per sortes elegisse, qui vestro nomine tres alios elegerit, ac tandem ipsos vestrâ auctoritate quartum alium in Episcopum statuisse, post diligentem hujus rei discussionem, nos reprehendam ideo statuimus, quod sortium interventu electio illa facta sit [g]. Ratum nihilominus haberi volumus nostrâ auctoritate, quod à vobis perperam factum est; sed sortis usum in electionibus perpetuâ prohibitione damnamus.

Eâ Pontificis sanctione nequiquam tamen factum esse credimus, ut in singularibus quibusdam eventibus sortium usus reprobaretur. In Concilio Barcinonensi A. 599. can. 3. statutum est, ut si quando contingerit, populi & Cleri suffragia in duos aliquos consensisse, quos pariter Metropolitanis & Coepiscopis præsentarint; ipsi post jejunium & preces ad explorandam Domini voluntatem, sortes jactant, eumque in Episcopum approbent, *Quem fors, præunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante monstraverit*.

Narrat Sulpicius Severus in vita S. Martini l. 1. c. 7. populos unâ cum Episcopis ad eligendum Turonensem Episcopum convenisse; & cùm maxima electorum pars in S. Martinum non inclinaret tantùm, sed

ingenti raperetur desiderio; minor tamen portio cum paucis Episcopis resistebat. Conferunt interim populum perrumpere minùs valente Lectore, eorum qui sorte aderant quispiam ex Psalterio casu aperto legit: *Ex ore infantium & lactentium profecisti laudem, ut destruas inimicum & defensorum*. Defensoris nomen auscultans Populus; quippe quod cum Episcopi electioni S. Martini resistens nomine consonaret, obstupescere primum, tum ratus non sine Dei voluntate id accidisse, ingenti undique elato clamore, in electionem S. Martini ita consensit, ut contraria omnis factio dissiparetur.

In singularibus nonnullis eventibus usus sortium in Ecclesiis Orientalibus non respuebatur, quamquam eâ servaretur cautione, nimirum post ceteras omnes tentatas vias, & cum de eligendis diffidum fuisset. Hæc disciplina Nestorianorum in electione Catholici, sive Patriarchæ (h) Trium illorum nomina, in quos major eligentium portio consentiebat, schedis quibusdam sive calculis inscribebantur, quibus omnibus quartum aliud adjungebant, quod erat Jesu Christi Summi Pastoris. Aræ hæc omnia imponebantur, & post celebratam in eadem Ara Liturgiam, poscendâ à Domino divinæ voluntatis significationi, nomina in vas aliquod congesta à puero quodam, nondum corruptis pro ætate moribus, extrahebantur. Cujus nomen omnium primum efferebatur ille statim proclamantibus populis in Catholicum salutatus. Si primum obvenerit nomen Jesu Christi, certum ex eo argumentum capiebatur, Deum trium illorum electionem reprobasse; quare ad nova suffragia revocabatur electio.

Mos iste in electionibus contentiosis obtinebat pariter Alexandria apud Cophtos sive Jacobitas. Appellabatur ea electio *fors Santhuarii*, cujus erat ritus (i). Centum Monachorum nomina adlegebantur, è quibus selecta prius quinquaginta, dein 25. & minùs etiam usque ad tria. Trium igitur nomina totidem schedis committebantur, quibus adjungebatur altera inscripta Jesu Christi nomine. Post Liturgiam in eodem Altari celebratam, in quo Candidatorum nomina posita erant, ex urna, puero quodam doli experte fortes ducente, eadem illa nomina extrahebantur. Qui primus obvenisset, in Præsulem statim renunciatus. Si verò Jesu Christi omnium primum nomen extrahi contingeret, infecta omnia, & ex integro repetenda. Si sortè ante nominum extractionem unus è tribus acclamaretur, toto pariter in illum cœtu assentiente, ritè ejus electio facta censabatur.

En vetusta satis & communia insignium Ecclesiarum Orientis exempla, quas de transgressis Catholicis præscriptis legibus reas agere vix aliquis sustineret. S. Augustinus pariter sortium usum singularibus in eventibus probat (k), cùm scilicet in persecutionibus dissident Sacerdotes, cui in Urbe ad solatium Fidelium remanendum sit, cui recedendum, commodiori tempore uti-

h Renaudot Fidei perpetuitas. 10. 4. c. 7. pag. 56.

i Idem tom. 4. l. 1. c. 9. pag. 76.

k Aug. Epist. 180.

m Donec veritas compleveur, figuram licuit exerceri. Indo est, quod Matthias, qui ante Pentecostem ordinatur, sorte quaritur. n Chryl. in Acta hom. 3. pag. 31.

o Natal. Alex. to. 1. Hist. Eccl. c. 2. p Sanct. in Acta 1. 26. num. 61. q Num. 17.

r Josue 7. 16. 17.

s 1. Reg. 14. 42.

t Jon. 1. 7.

u Esth. 3. 7. x Ezreb. 21. 21.

y Prov. 16. 33.